


TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

HYDROPE PECTORIS.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
QUÆDAM DE

HYDROPE PECTORIS

COMPLECTENS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS S. ALLANBY,

ANGLUS,

CHIRURGUS,

NECNON,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.

"——————— paulatim in pectora venit,
"Vitalesque vias et respiramina claudit." OVID.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

To Mr Jos Fawcett
with the Author's Compts

GULIELMO LOMAS, M. D.

ARTEM APUD ASPATRIAM SALUTIFERAM

FELICITER EXERCENTI,

ANIMI PROBITATE, MORUMQUE SUAVITATE,

INSIGNI;

SUB CUJUS TUTELA

MAXIMI ÆSTIMANDA,

MEDICINÆ PRIMUM INCUBUIT;

ACADEMICUM HOCCE TENTAMEN,

QUALECUNQUE SIT,

SUMMÆ PIGNUS OBSERVANTIÆ,

D. D. D.QUE

JOSEPHUS S. ALLANBY.

VIRO REVERENDO,

JOANNI CURRIE,

DE *MURROES*,

AMICO SUO DILECTISSIMO,

VITÆ INTEGRO,

SCIENTIA PARITER AC VIRTUTIBUS

ORNATO;

HASCE PAGINAS,

OBSERVANTIÆ ET AMORIS,

PIGNUS PEREXIGUUM,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPE PECTORIS.

Auctore JOSEPHO S. ALLANBY.

MIHI lauream apollineam in hac inclyta Academia petenti, paucula de Hydrothorace, morbo satis frequenti, et perquam exitiali, tentaminis causa, in medium proferre placuit; huncce morbum eoque magis considerare juvat, quod facientes medicinam hodierni rationem medendi æque incognitam vetustioribus, ac insperatam, monstrarunt; certissimum est enim, de natura hydropum varia ab antiquis parum cognitum fuisse, scilicet

qui (perpaucis exceptis) debilitatem pro causa sola effusionis hydropicæ habuisse videantur. Per certas vero observationes nunc satis comprobatum est, hydropem longe aliam, actionem nimirum vasculorum nimis incitatam, nonnunquam agnoscere; ideoque recentiores ferramenta, utpote remedia efficacissima, haud raro in auxilium arcessunt. Hinc exitus felicior hydropicis, hinc salus frequentior quæ vero qualisque fuerit in hisce morbis medicina inter antiquos practica, quidve hanc inter et nuperiorem sit discriminis fusius exponere, a proposito meo omnino est alienum. Valde dolendum est, tantum abesse ut aliquem Hydrope pectoris adhuc recenti conflictari, pro certo cognoscamus, ut etiam signa ejusdem ulla quæ vitiis aliis quibus viscera thoracis laborant, non sint communia, plane ignoremus. Scripturo igitur de morbo adeo multiformi, angustiæ frequentes obveniunt. Quod si hydrothoracem ut a CULLENO definitum examini subjiciamus, vix inveniemus revera cui indicio utpote certo, malique nuntio constanti, fidem habeamus; id quod forsitan a quibusdam potius naturæ morbi adeo variæ, quam nosologo jure celebri, imputabitur. Sed pace tanti viri dixerim

quædam notatu digna, definitioni quam tradit ille, deesse signa; unumque rarissime perceptum, nempe aquam in pectore fluctuantem, in ea locum habere. Alia quidem definitio præsto est, a Doctore DUNCANO juniore, viro tam medicinæ perito, quam literis, bonisque artibus imbuto, tradita, quæ in locum illius, me judice, bene sufficiatur. Statuit genus, et duplicem speciem.

Genus.—Dyspnœa, motus molestus, anxietas, urina parca, thoracis pars inferior percussa minime resonans.

Sp. Idiop.—Facies pallida, hypochondria lata, decubitus facilis, tussicula, excreatio fere nulla, pulsus mollis, haud abnormis, mors tranquilla.

Sp. Sympt.—Facies sublivida, decubitus difficilis, somnus sponte, subitoque, dum palpitat cor, ruptus, tussis molesta, pulsus durus, excreatio glutinosa, mucosa, morientis angor extremus.

Quanto præstantior est hæc definitio jam posita is rite sciet, qui, formas quas, pro ratione causæ,

induit morbus, annotaverit. Facere igitur plura verba de hac re, supervacaneum fore judico.

HISTORIA MORBI.

Morbus, de quo igitur, raro ex improviso invadit. Quædam cordis præcipue vitiati indicia, vel virium corporis deficientium, sæpe per plures dies, aut etiam menses, prius adsunt, ægrumque molestia afficiunt, quam signa morbi sese ostendunt. Inter prima sentiuntur molestia anxietasque, pondusve gravans in imo pectore, cui parti ut sedi miseriarum ab ægro plerumque refertur, qui alias de sensu animi deliquii, alias de palpitatione et strangulatione, varie conqueritur. His perstantibus, omnia cito evadunt graviora. Respiratio cum præcordiorum anxietate perpetua, fere semper difficilis, a causis etiam levioribus gravior redditur; post motum solito fortiorem, ut scalarum ascensum, aut animi perturbationem, anxia fit, et anhela; noctu, ob corpus tum supinum, magis quam interdiu, laborat. Sæpe, non nisi erecta cervice spirare potest æger; haud

raro citum et plenum spiritum ducere invitus notatur, qui pectori circiter adstricto afferat levamen. Si humor latus thoracis alterum solummodo occupaverit, decubitus in alterum non sine magna molestia est; notatu vero dignum, decubitum facile sustineri declivem, quando pectoris cavum ex integro aqua repletum fuerit; contra vero, si fluctuanti aquæ locus vacat. Quod si aqua in cavo thoracis utroque hæreat, sive supinus, sive in alterutrum latus, æger se composuerit, suffocationis sensu angitur; in dorsum cubans, capite humerisque erectis, maxima quiete fruitur. Respiratio quidem nunc ægro sedenti, corpore aliquantum curvo, facie in genua proclivi, nunc vero situ humili jacenti, pro mali ratione, facillima geritur. Motui cordis abnormi respondent pulsus arteriarum debiles, intermittentes, quandoque vero per totum morbi decursum nullo modo inæquales. Inter hæc, ægrum tussicula sicca, crebra, tentare consuevit, et, si aliquid sputi e pectore extunditur, illud parcum, tenue, glutinosum est; morbo vero progrediente, tussis humidior fit, magis magisque molesta. Functiones corporis multum turbantur, unde

ciborum appetentia, una cum viribus ægri, valde concidit; alimento male concocto, ventriculi distensio, flatuum per superiora ructus, cum pressu thoracis ingente, oriuntur, et miras facessunt molestias. Borborigmi sæpe adsunt circa hypochondria, quæ aliquando justa magnitudine sunt latiora. Urina, si malum derepente invaserit, admodum parca, et raro prodit, colore est rubro, et cum frixerit, sedimentum lateritium, acido vero nitrico infuso, aliquid albuminis, imum petit. Illa autem si tarde accesserit morbus, haud raro copia justa, et parum mutata, reddi observatur. Venter tumidus, maxime circa hypochondria renititur, cujus pressu, dyspnœa gravior, sensusque strangulationis profundus, cientur. Alvus varia, plerumque perpauca reddit, quandoque vero, concoctione vitiata, nimis est soluta. Sitis raro abest, fere semper urget. Cutis arida est, atque corporis extrema, præcipue pedes et facies, et palpebræ, inflatione hydropica tumescunt, et ad tactum frigent. Facies pallida, vel flavescens, vel sublivida, quoad colorem variat. Visus languet: Vultus collabitur: Stupor alterutrius brachii interdum sentitur. Per hæc modo graviora, modo mitiora, inops vitam traducit mise-

ram infelicem, donec, morbo ingravescente, omnia in pejus ruant. Primis somni horis, quando obrepit somnus, sensu spiritus interclusi repentino, et corde ultra jus saliente, perterritus expergiscitur, in altum exsilit, et auras vitales, distento pectore, naribusque patulis, captat. Ingravescit indies spirandi difficultas, et sputa redduntur glutinosa, cruenta. Huc accedunt defectiones animi frequentes, coma aut delirium *.

Paucis in cxemplis, latus thoracis alterum altero tuberosius est; in paucioribus vero percipitur, "aqua in pectore fluctuans." De hac re, inquit illust. MORGAGNI, "Sed tamen hoc signum neque est, neque esse, perpetuum potest. Nam præterquam quod in nostris cæteris et iis omnibus Valsalvæ frustra perquires, idem quoque accidit in plerisque eorum perlegendis, qui tam luculentam hujus morbi notam, si extitisset, prætermittere potuisse non videntur. Quin diserte a quibusdam adnotatum videbis, illam defuisse †". His tandem malis junguntur, sudores

---

* Vide MACLEAN On Hydrothorax, Cas. 61.

† Vide MORGAGNI, Epist. Anat. Med. xvi. Obs. 36.

frigidi, qui super fronte et jugulo, dum pectus et cætera corporis calent, erumpunt. Præter hæc, genæ et labia, præsertim si morbus e cordis vel pulmonum vitiis secundariis pendeat, lurido colore suffunduntur. Tanta humoris copia ad morbi extremum colligitur, quanta, ne respiratio fiat, absolute impediat. Ita æger aliquando lente, apoplectici aut suffocati instar, sæpius ex improviso, mortem obit.

CADAVERUM INCISORUM CHARACTERES.

Inter omnes convenit, nos de causis et sedibus morborum, nisi cadaveribus incisis, sæpe certiores fieri non posse. Vix opus est verbis ut aliquis satis perspiciat, quantum morbi curatio a causæ notitia pendet, aut quanto medicina rationalis, quæ in tali cognitione paranda versatur, conjecturali præstat. Isne se vitiis occursurum, aut remedia allaturum, sperare potest, qui unde hæc sint, ignoret? Veruntamen id vitio medicis vertitur, eorum perpaucos, anatomiam pathologicam, ut par esset, excoluisse; ex his autem Ill. Mor-

GAGNI et VALSALVA inter vetustiores; cel. LÆNNAC, et BAILLIE, inter recentiores, primum locum tenent. Verba quidem sola de notis cadaverum explicandis, ratione historiæ morbi ab initio ad extremum usque non habita, parum prosunt; atque medici vere exempla luculenta, a MORGAGNI relata, historia integra et plena morborum unde extincti erant ægri, sæpe carere notarunt.

Thorax reclusus, liquorem plerumque in utroque cavo, sæpe vero in uno latere solummodo, collectum ostendit. Tanta aliquando cumulatur, copia, ut inter thoracem secandum, vi aliqua prosiliat. Pericardium quoque aquis sæpe distentum, et immanem in tumorem, reperitur. " In pericardio juvenis viginti duorum annorum, (narrat BONETUS), ultra ℥xxx aquæ limpidissimæ, dulcis satis saporis, est; unde valde extensum *." Ex aquarum pressu in diaphragma, tumores circa hypochondria, haud suspicione vitii hepatis aut lienis carentes, creberrime apparent. A MORGAGNI narratur, diaphragma in quodam exem-

* Vide BONET. lib. ii. sect. i. obs. 60.

plo, deorsum actum magna laticis copia in cavo thoracis sinistro congesta, ea qua gula progreditur parte, instar sacci renem sinistrum versus ita protrusum fuisse, ut ventriculus hepati superjaceret. Structura utriusque pulmonis plerumque læditur, uterque faciei pleuræ internæ arcte alligatur. Alter, vero, multo sæpius altero morbosus animadvertitur; illius secti parenchyma densum, mole imminutum, et carnem hepaticam referens, invenitur, et vi resiliendi non gaudet. Textura pulmonum reticulata circa tubos aëris interdum, quamvis rarissime, aquis oppletur. Cor equidem raro justa magnitudine reperitur, mole amplificatum, uterque ventriculus dilatatus, non imminuta tamen, imo sæpius aucta, parietum crassitudine; aut organum demum totum, pinguedine obtectum, conspicitur. Concreta polypi dicta, in vasis grandioribus crebro delitescunt. Capite aperto, membranas inter et cerebri ventriculos humor sublatet. Ventre demum discisso, serum magna copia congestum; jecur, lien, ventriculus, et pancreas, dura et structura læsa subinde detecta sunt. Neque profecto mirum erit hæc ita sese habere, si quot labe thoracis hydropi-

ca implicitorum, poculis epulisque dediti sunt, meminerimus.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

QUÆCUNQUE causæ corpus aquæ intercuti, hydrothoraci quoque, obnoxium reddunt. Inter has ætas provecta, viresque hominis quocunque modo fractæ, mentionem primam merentur; scilicet quæ cor arteriasque resiliendo, et functionibus suis rite fungendo, minus apta reddant; senectus, porro, secum vasorum vitia generis multiplicis adfert, quæ per se etiam ad hydropem inducendum, haud parum conferunt. Quibus est forma corporis certa, verbi gratia, habitus obesus, statura brevis ad plenitudinem natura proclivis, præ aliis hydrothorax infestat. Morbi quidam, variaque infirmitatis vitia, qualia sunt podagra; catarrhus senilis, asthma, affectus animi deprimentes, Venus nimis culta, hydropi jamjam secuturo præeunt.

Ratio vivendi prava, potus præsertim cerevisiæ meracioris nimius, ad hæc accedat. Unde venit vi-

ros quam fœminas hoc malo funesto correptos esse plures? Licet a priori colligere fœminas, habitu corporis molli, spongioso, minus firmo, præditas, morbo qui sæpius in debilitate nititur, magis quam viros obnoxios fore. Pathologis autem dicere placet, hos, causis quæ morbum provocare possint, magis objectari; id quod revera minime negandum est; præter hoc, tamen, vasa sanguinem maribus vehentia, calculis subductis, labem sibi allatam frequentius patiuntur. Structuræ enim læsiones quæ tunicis arteriarum fiunt, quo minus officiis suis hæ rite fungantur, obstantes, in ulcera, tandem, aneurismata, et hydropes desituræ, his quam illis sunt longe numerosiores *. Quæ cum ita sint, viros, ex sua natura, pectoris hydropi fœminis procliviores esse, dicamus.

CAUSÆ EXCITANTES.

Hydrothorax cum causam duplicem, haud secus ac aliæ hydropis species agnoscit, effusionem

---

* Vide "Hodgson on Diseases of Arteries and Veins," passim.

seri nimirum auctam, vel idem minus justo resorptum, paucis exponamus, unde utraque originem ducat. Satis facile perspicitur, omne quod ne sanguis ex arteriis in venas libere recipiatur, tardare et impedire potest, effecturum, ut plus æquo humoris e vasis exhalantibus effundatur. Aquæ intercutis interdum vestigia premit, plerumque vero ex læsis thoracis visceribus, oritur hæc labes hydropica quæ jam tractatur. Inter causas hujus frequentissimas, repertum est cor varie vitiatum; ad quod quandoquidem antehac animum adverti, de eo nil amplius addam. Aneurisma arcus aortæ, aut tumores cujuscunque generis sint, venas vel ductum thoracicum prementes, malum hoc dirum concitare possunt. Ad causas pessimas referendi sunt, morbi pulmonum universi, velut accessus pneumoniæ frequentes, quibus duri, perdensi, et sanguini æque invii ac aëri pulmones fiunt, asthma quoque inveterascens, tubercula, catarrhus. His aliæ neque levissimæ causæ adnumerandæ, nimium scilicet sanguinis dispendium, salivæ fluxus perperam motus, purgatio alvi immodica, et alia similia, quorum effectus est, solida corporis relanguescere, fluidis tenuitatem inferri. Quidam ductus thoraci diruptionem causarum nu-

mero adscribendam judicant; minus vero recte, ni fallor; situs enim vasis hujus hydropem fieri pectoris non sineret, nisi qua rumpatur, via simul per mediastinum posterius aperta foret; patet igitur, id nisi accidat, nihil esse unde thoracis potius quam cutis, vel abdominis cavi, hydrops oriatur. Multis aliis prætermissis, restat denique memorare, vasa lymphatica sæpe ita dilabi, ut humorem effusum pari passu ac spiratur, haurire nequeant; exinde igitur hydrothoracem sæpenumero derivatum, fluere.

CAUSA PROXIMA.

Satis patet, malum hydropicum de vi exhalantium nimis aucta, vel vigore pristino resorbentium imminuto, vel de utroque vitiato, pendere. Censebat Darvinius resorbentium fluida, ubique in hydrope, retrorsum cursu converso, acta refluere *; quod vero minus constat; equidem

* Darwin's Zoonomia, sect. xxix. 2.

sententia fundamento adeo lubrico nititur, ut per se corruat. Proxime, juxta consuetudinem, de ratione symptomatum disserendum esset; quoniam vero hydrothorax, formas adeo varias incertasque sibi assumit, ut reddere rationem, de qua causa signa illius penderent, sæpe difficillimum foret; maxime vero, ut diagnosin, rem majoris momenti, fusius exponendi spatium esset, illud propterea omnino prætermittere satius existimo.

DIAGNOSIS.

Novit quisque natura et morborum charactere minime exercitatus, quanta difficultate inter thoracis vitia rite distinguatur. Si quis in animo habeat, signa dicta hydrothoraci propria, vitiis aliis haud paucis sæpius adesse, cavaque pectoris quorundam vivorum humore plena existimata, post mortem vacua fuisse nonnunquam reperta, ingenuus exclamabit cum Jo. Jacob. Vicario, Quam fallacia sunt subinde diagnostica *! Quam-

* Morg. Epist. Anat. Med. xvi. obs. 11.

vis quidam magni interesse hydropem pericardii ab pectoris hydrope discernere, opinati sunt, et notas utriusque proprias posuerunt; multum dubito an multis in exemplis, ulla deprehendere signa, quibus natura mali vera est rite distinguenda, possit medicus etiam exercitatissimus: nihilominus, quibusdam persuasum est, ægros hydrocardia, leipothymia frequentiori, et gravi circa cor anxietate, affici; spirandi vero difficultatem mitiorem in thoracis hydrope esse solere; illosque obdormire sedentes, capite ad pectus inclinato, ac, (si qua AVENBRUGGERI fides) sonitum circa cordis sedem, obtusiorem deprehensum, ita suffocatum esse, ac si frustum carnis percussisses *. Nescio quidem haud expertus, an per Stethescopum (instrumentum a LAENNEC celeberrimo, Parisiensi, nuper inventum †), quis hydropem pericardii detegere, quave ratione, ab aliis morbis hunc distinguere, potest.

Empyema.—Medicus etiam sagax diagnosi empyema inter et hydrothoracem recte instituen-

---

* Vide CORVISART, Comment.

† LAENNEC, passim.

dæ, aliquando impar est; signa enim multa utriusque sunt communia, et fons quo ambo oriuntur, haud infrequenter idem. Spiritus difficilis, et decubitus in latus quo fluidum non est aggestum, molestus, quies subito et sponte interrupta, artuumque tumor hydropicus ambobus instant; attamen, si historiam morbi perscrutando, inventum sit, pulmonum præcessisse inflammationem non solutam, dolores vero pectoris et febrem, ex acutis mitiores et magis obtusos factos, aut prorsus cessisse; si his præterea excepisse signa febricitantia, qualia sunt, sudores frigidi, glutinosi, huc illuc erumpentes, dum cætera calent, vultus suffusus, et urina materiam subfuscam demittens, medicus, his caute perspectis, alterum morbum ab altero, non dignoscere vix potest.

Syncope anginosa,—quando per se sola existit, satis facile a pectoris hydrope discriminatur. Illo morbo implicitus, dolore summi sterni acuto, qui in brachium sinistrum per pectus transversim tendit, spiritu laborioso strangulationi proximo, et gravi circa cor anxietate, subito correptus est; supino jacenti evanescit accessio, serius vero ocius

reditura. "In simple Angina pectoris," inquit A. Burns, "there is no actual dyspnœa present; the feeling of suffocation which patients experience under a paroxysm of this complaint most probably arises from the venous state of the blood accumulated in the heart; if there be real dyspnœa, the case is not syncope anginosa, or it is complicated with effusion into the chest *."

Asthma,—signis sibi propriis bene dignoscitur. Accessiones habet statas, quæ paucas post horas sese remittunt, tandem omnino cessant, ægrumque omni fere molestia vacuum, et valetudine mediocriter secunda utentem, relinquunt. Respiratio, quamdiu perstat accessus, difficilis, anhela, redditur, et propter angustias per quas evadit spiritus, sibilum edit. Omnia vero apud hydrothorace laborantem, fere aliter sese habent. Hic ærumnis et molestia, quæ dies noctesque, plus minus eum vexant, quamvis aliquando mitescant, nunquam omnino vacat; neque accedunt, certis tempestatibus spiritus gravioris impetus,

* Vide Burns on Diseases of the Heart, p. 140.

qualiter asthmaticis accidit; quin sub exercitatione paulo violentiori, et quando inveteraverit malum, motu corporis quidem minimo, vix unquam non urget dyspnœa. Præterea, hoc potius quam illo morbo laborantem, motus abnormes animique defectio, cum inflatione artuum hydropica, frequentiores et maturiores premunt; asthma vero inveterascens, hydrops pectoris aut intercus minime raro subsequitur.

Chlorosi,—gravissimæ licet signa hydrothoracis simulantia adsint, plerumque diagnosin statuere possumus. Puellas quibus menstrua nondum profluxere, tentant palpitatio, respiratio, sub motu difficilis, pulsus facile concitatus, interdum abnormis; quæ omnia, ægra cubante, contra ac hydropicis evenit, maxime sublevantur. Ægrotantibus etiam a chlorosi, œdema faciei, pedum, et manuum, horrores quoque summæ cutis, sub vesperam, leves, fieri consuerunt; medico autem, sexum ægri, et ætatem, et alia concurrentia, secum perpendenti, quid sit mali genus locus erit nullus dubitandi.

Aneurismata,—intimi thoracis, inter initia, vix aut ne vix quidem, ab hydrothorace dignosci possunt. Respiratio læsa, palpitatioque subinde vehemens, dolores similes et molestias creant, ac in Hydrope pectoris esse solent; quam ob rationem principio, dignoscere aliquando non poterit medicus solertissimus, an humor sit effusus. Quod si dolor pulsans, infixus, cum palpitationibus et pulsu inæquali, ex motu aut causa aliqua impetum sanguinis incitante, fuerit ortus, aneurisma delitescere merito est suspicio; morbo autem provecto, tumor pulsans, mollis, pressuræ cedens, qua sedem habet aneurisma, apparet, qui thoracis ossa, assidua sua palpitatione absumens, musculos et tegmenta attollens, viam sibi paulatim ad exteriora parat, augescitque, donec ad molem immanem distendatur; quando ad hæc perventum est, medicus minime expertus de morbi natura errare nequit.

Polysarcia.—"Obesi," ait Celsus, "plerumque acutis morbis et difficultate spirandi, strangulantur; ergo si plenior aliquis, speciosior et coloratior, factus est, suspecta habere bona sua de-

bet *." Res quidem certissima est, multum adipis circa cor et ejus vasa congesti, eorum motui adversando, signa hydropis pectoris, velut dyspnœam, somnum subito discussum, cæteraque mentiri; si vero inflationes absint aquosæ, urina justa copia excernatur, omnesque secretiones, ut salute integra, rite se habeant, timor hydropis fugandus est; veruntamen valde obesos, hydropi formæ alius atque alius, plerumque succumbere notatur.

PROGNOSIS.

Sequitur ut proprias notas proxime explicem, quæ spem vel periculum ostendant. Perraro ad sanitatem ab hoc morbo pervenitur, quippe cujus causæ in visceribus læsis, adversus quæ ars medicinalis parum valet, creberrime lateant. Prænotiones hujus, haud aliter ac morborum aliorum, necesse est de causis ejus excitantibus, quaque

---

* Celsus de Medicina, lib. i. p. 32.

conditione æger se jam habeat, omnino pendeant. Medici erit igitur explorare, primo, an existat visceris læsio alicujus; secundo, quo statu res jam sit ægrotanti; et tertio, morbi diuturnitatem, et humoris effusi copiam. Semper cavendum est ne exitus prædicatur faustus; exemplum enim hydropis nostri omne, periculi haud expers habendum est. Mali autem, vix non morbi lethalis testimonio est, ætas provecta, præcipue quibus corpora Baccho epulisque, vel morbis prioribus, soluta sunt et infirmata; quibus quoque est spiritus gravissimus, cum doloribus pectoris acutis, et summo virium defectu; morbus etiam cordis vitia et pulmonum subsequens: Ὁι δε ὑδρωπες, notat HIPPOCRATES, ὁι εκ τῶν ὀξέων νουσημάτων γενόμενοι ἅπαντες, κακὸι*. Ad ultima vero jam ventum esse testantur, orthopnœa perpetua, pervigilia, genæ et extrema livida, tempora collapsa. Contra autem, indicia ex quibus colligere possumus, morbum secundi ominis futurum, sunt; ubi ætate florente æger, integra valetudine ante

---

* Vide ἹΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΟΝ, Τμημα δευτερον. ά.

morbi accessum fuit usus; ubi neque præcessere morbi acuti, neque vitia fabricis organorum officientia: ubi hydropi intercuti supervenit malum, et raro actio cordis abnormis aut dyspnœa urget, res bene cessuras præsentire licebit. Cognitis indiciis quæ nos vel spe consolentur, vel metu terreant, ad curationem morbi transeundum est.

RATIO MEDENDI.

Consilia medendi duo memoria tenenda sunt; primum, humores effusos educere; secundo, actionem partibus affectis salutiferam redintegrare, qua justum æquilibrium fluida exhalata inter et resorpta fiat, morboque ne redeat, occurratur. Quibusdam ominis ab initio secundi morbus, post aquam eductam, ex toto cedit; in remediis tamen consilium secundum assequendo aptatis, spes erit ponenda.

Alicui vero causas varias quas agnoscit hydrothorarx secum reputanti, patebit, quanti est, ut feliciter medeatur, caute dignoscere, ex quibus originem duxerit morbus. Medico igitur primæ curæ esse debet, fluidum quod molestias affert

graves, impeditque ne functiones vitales rite perficiantur, educere. Quibus modis autem id optime fit, proxime est exponendum.

Diuretica, quæ majorem urinæ fluxum moveant, atque ita e corpore res extraneas, corruptas, acres, varii generis, nutriendo minus aptas, vel vitæ nocentes, eliminent, aliis medicamentis sunt anteponenda. Ex illis, digitalis purpurea, scilla maritima, supertartras potassæ, et sales alii medii, maximo cum commodo, hodie adhibentur. Digitalis ad urinam movendam efficacissima, jure habetur. De modo vero quo operetur, inter auctores multum discrepat; rem igitur sub judice, incertam, in medio relinquere satius videtur; paucis autem dicere qualibus hydropicis optime convenit, quæque sint ejus administrationis regulæ, abs re erit. Clarus WITHERING*, primo edocuit, digitalem quibus sunt corpus molle, laxum, et tenerum, vultus pallidus, labia livida, pulsus debilis, cum artuum œdemate facile digitis cedente, maxime prodesse; atque contra ejus usum hominibus plenis, corpore viridi, facie colo-

* Vide "WITHERING on Foxglove," p. 189.

rata præditis, quibus arteriarum pulsus, filo similiter vibrat, raro feliciter evenire.

Ratio digitalem exhibendi optima et tutissima est, a portione parvula primo incipere, eamque sensim ampliare, donec, aut urinæ moverit profluvium, aut alvi fluxum, nauseam, vertiginem intulerit, tum vero, medicamentum confestim intermitti debet. Sin autem ob remedium prave usurpatum hæc mala advomitum usque, pulsu idem tardo, abnormi, corpore demum deficiente processerint, periculum vitæ maximum instabit. Opiata, vinum, et acida, adversus hæc optime respondent. Intestina debilium et mollium, quibus utilissima est digitalis, ex ejus usu etiam parco facile moventur, ideoque opium ei adjici debet; est tamen laxantibus præscriptis providendum, ne hæreat alvus, eoque magis quo tardior ea diuresin alioquin rite perficiendam remoratur.

In exemplis ubi urina, calore admoto, cogitur, Doctore Blackall digitalem remediorum tum esse principem ac minime fallacem, invenit*. Hy-

---

* Vide Blackall on Dropsies, sect. iii. p. 292.

drargyrum, aut Scilla maritima, prout res postulent, sæpe commode adjiciatur. "Compositio hujusmodi," inquit cl. GREGORIUS, "remediorum diureticorum omnium fere quæ hactenus cognita fuerint, efficacissimum præbet *." Per dies vero paucos usitata digitalis nisi effectus salutares jam præstiterit, deponatur, et ad diuretica generis diversi confugiatur, oportet.

Scilla maritima per se virtute urinam ciendi haud mediocri gaudet; ideoque omni ævo ad hydropem discutiendum fuit usurpata, et sibi summas laudes nec immerito acquisivit. In quibuscunque effusio thoracis supervenerit asthmati aut catarrho vetusto quem exscreatio difficilis comitatur, præsertim si, ut fere accidit, urina parca nebulosa et sine albumine reddatur, scilla aliis diureticis antehabenda est; quippe quæ cum excreta e pectore adjuvet, tum urinæ fluxui accelerando, maxime conducat. Equidem, re explorata, constat scillam cum hydrargyro conjunctam, lotium efficacissime moturam, et hydropicis, quibus alia

* Vide Conspectus Med. Theoret. p. 501.

sine fructu porrecta sunt, multum profuturam; ratio cujus rei haud obscura videbitur, si memoria teneamus, quantum valeat hydrargyrum ad actionem vasorum resorbentium ciendam, et quam potenter scilla in renes agat, quo etiam hydrargyrum quasi dirigit. Quod ad remedia salis attinet, quamvis omnia hujusmodi ad secretionem urinæ expediendam nonnihil polleant, supertartras potassæ, et acetas potassæ, optima jure sunt existimata; alia non pauca tamen suos laudatores habent; multum vero commodi ab aqua, ni fallor, qua solvuntur, potissimum pendet; etenim si eos aqua parca exhibeamus, urinam parcam tantummodo eliciunt; ex his autem valentissima est supertartras potassæ latice copioso diluta, quæ scilicet vim insignem vasa lymphatica ad actionem magis vegetam, unde hauriatur humor effusus, stimulandi possidere videtur. Obesis quos invaserit hydrops pectoris, maxime prodest.

Inter hæc remedia quoque animus fert ponere aquas illas medicinales, quæ, ob actionis similitudinem, eundem in modum hydropico opitulantur; quas equidem quanquam ad hydropem pectoris vin-

cendum minus valeant, medicus tamen pro adjuvantibus habere debet. Præparata ætheris aliis remediis auxilio sunt; aliquando autem, hydropicis maximum levamen afferunt. Medicamenta hujusmodi ad spasmos fugandos valentia, adversus signa urgentia sunt præsentissima; sensum enim corporis nimis irritabilem, ventriculique inflationem, satis bene tollunt; neque fluxum urinæ incitandi vi aliqua carent. Existimatum fuit olim, et hodie apud multos opinio valet, purgationem alvi fortem, ad hydropem curandum, vix non necessarium esse, igiturque, in omni pene exemplo, dejectionem variis medicamentis, crebraque alvi ductione moliendo, morbum depellere solenne fuit. SYDENHAMUS, vir ille ingeniosissimus et medicus solers, ita præscribit: "Magni refert ut diligenter observemus in omnibus hydropibus, ea cathartica, quæ vel segnius vel minus potenter operantur, officere magis quam prodesse *." Talis vero nunc fere obsoluit medendi ratio, minime quidem hydrothoraci convenit. Si tamen juniorem, obesum, pleniorem, subito invadat morbus, et nimiam

* SYDENHAM, "Tractatus de Hydrope," p. 248.

vasorum incitationem pro causa habeat, purgatio alvi modica utilis erit; quæ quidem cum intestina tum vasa exhalantia stimulando, multum sanguinis abdomen versus derivat, et inde exire copiam humoris majorem efficit. Accedit quoque quod hæc curatio vasa lymphatica ad aquas congestas e cavis hauriendas, atque in circuitum sanguinis deferendas, incitet.

Missio Sanguinis.—Licet, ob humorem tarde congestam, plerumque pulmonibus detur temporis spatium quo thoraci minus capaci se aptent; quando tamen in ægris habitu pleno, ætatis flore, ex causis inflammationis subito conflata fuerit affectus, pulmones quam sustinere queant, citius et plenius contrahuntur; quæ res sanguini quo minus per cerebri vasa et pulmonum facile transeat, impedimento est; unde apoplexiæ aut strangulationis signa inducantur. Quæ cum acciderint, nullum dubium erit, quin missioni sanguinis soli quo avertatur periculum instans, sit fidendum.

Epispastica—ad signa vehementia debellanda plurimum possunt, et fere iisdem ægris quibus

sanguinis detractio, opitulantur. Meloës vesicatorii emplastrum thoraci qua insidet tormentum, admovere oportebit, et quandocunque pars exulcerata prope sanata fuerit, id ipsum iterum atque iterum imponere, ita ut irritatio perpetua servetur. Hæc non solum spirandi impedimento, et anxietati circa pectus ingentæ magno est auxilio, verum etiam organa urinæ secernentia ad actionem fortiorem commovet. De remediis quæ sudorem eliciunt, nihil quod dicam habeo, nisi per ea sola hydropem pectoris sanari nunquam posse. Evocare quidem diaphoresin, citra vero sudorem, præparatis ipecacuanhæ et opii, aut antimonii, adhibitis, proderit, maximeque, si ab exhalatione cutis quocunque modo obstructa, ortum trahat morbus. Si ægrum noctes insomnes cum doloribus opprimunt, opiata adhibenda sunt; sedantibus vero quippe quæ vires deficientes reddant, abstinendum. Omnibus remediis memoratis ad curationem faciendam minus potentibus, nobis suspicari licebit, affectum aliquem organorum sublatere. Cum cætera haud prospere successerint, nil denique restat, nisi aquam manu chirurgi emittendam commendare, quo æger jam pene

confectus, quod vitæ reliquum est, quiete majori producat.

Consilium secundum est, post humorem eductum, ab ejus reditu præcavere; quod quidem semper difficillimum est, sæpissime nequit effici. Imprimis vigilare oportet, ne causis quæ corpus infirmatum, huic malo obnoxium reddunt, valetudinarius objiciatur. Cum malum læsa viscerum structura caret, atque partis alicujus vel corporis universi infirmitate provenit, usu roborantium, quorum optima sunt præparata e ferro, aquæ medicinales ferrariæ, cinchona officinalis, et acida, cum exercitatione leni, ægrum tandem ad sanitatem pristinam restitutum iri sperabitur. Neque inter hæc aliquamdiu negligenda sunt diuretica, quæ tonicis commode adjici possunt; ratio victus quoque habenda est, ut cibus nostrum bene nutriat, concoctu facilis, nec copia inutilis ventriculo unquam supersit. Aqua supertartrate potassæ medicata, vel decoctum furfuris c̄ nitrate potassæ, ægro pro potu communi porrigenda est. Vinum album Hispanicum tenuius, si vires labant, beneficio subinde erit; liquoribus vero al-

coholis supersedendum videtur. Alvum facilem servare, corpusque dudum extenuatum vestimentis laneis munire, expedit, quo excretiones per eas rite promoveantur. Cum vero, ut CELSI oratione utar, ex toto convaluerit æger, periculose, hanc victus rationem subito mutabit, et inordinate aget. Paulatim vero debebit, omissis his legibus, eo transire ut arbitrio suo vivat. —Jamque tentamenti hujus finiendi est animus:

"Et, mihi, dulces
Ignoscent, si quid peccavero stultus, amici."

FINIS.

